

lis perfectio sumitur ab essentia non ab existentia : unde perfectior dicitur homo quam lapis ratione essentiae in qua illum excedit, Petrus autem existens non dicitur excedere Paulum non existentem sicut homo excedit lapidem : ergo solus excessus existentiae non est major, quam excessus inter duas essentias distinctae speciei : ergo signum est existentiam non esse perfectiorem essentia. Confirmatur, quia alias essentia simpliciter ordinatur ad existentiam ut ad perfectiorem, non existentia ad essentiam, et sic quando Verbum divinum assumpsit naturam humanam, et non existentiam assumpsit quod erat imperfectius, scilicet existentiam. Confirmatur secundo, quia ab essentia sumitur operatio, ejusque nobilitas, et ideo operatio naturae intellectivae est perfectissima, ab existentia vero non sumitur operatio, nec nobilitas rei, est enim communis omni enti quantumcumque infimi gradus. Similiter potentia illa est altior, et perfectior, quae magis abstrahit ab existentia, sicut intellectus est nobilior voluntate, quia intellectus non dependet ab existentia sicut voluntas, quae solum respicit esse, nec ab illo abstrahit : ergo essentia est perfectior existentia. Denique, impossibile est quod aliquid ex genere suo, sit nobilius altero, et ex specie sua imperfectius, ergo si existentie est nobilior ex genere suo, non potest ex specie esse imperfectior essentia.

XXV. Respondetur perfectionem, et nobilitatem rei dupliciter attendi, uno modo secundum graduationem genericam, et specificam, secundum quam naturae creatae habent suam in aequalitatem, et una est altera melior, et perfectior. Alio modo sumitur perfectio, et nobilitas non secundum latitudinem gradualem intra genus, vel speciem, sed in ipso genere entis secundum quod actuali-

tas entis ut est ens opponitur potentialitati, qua aliquid est intra causas, et in statu possibilitatis, quod est potius nobilitas status, quam graduationis. Et primo modo nobilitas, et perfectio sumitur penes formam constitutivam rei ipsique essentialem, et intrinsecam. Secundo vero modo penes actualitatem terminativam, non constitutivam rei. Sed tamen tota perfectio essentialis, et constitutiva est in potentia, et perficitur per actualitatem existentiae terminativam, quia per illam ponitur extra causas, et sine ipsa est nihil. Unde habet se ad ipsam, sicut actus primus ad secundum, et sicut actualitas determinati generis ad actualitatem in toto genere entis. Dicemus ergo quod perfectio essentialis dicitur perfectio simpliciter intra latitudinem sui generis, et in ratione perfectionis gradualis, et specificae, non autem in genere entis simpliciter. Unde existentia ex formali ratione sui conceptus excedit actualitatem essentiae sicut actualitas in toto genere entis actualitatem determinati generis, et sicut actus secundus actum primum. Si vero consideretur existentia ut participat ipsam rationem determinatam, et specificam qua existentia limitatur ab essentia, in qua subjectatur sic est inferior ad essentiam, utpote ab ea accipiens specificam limitationem suam. Quare dicimus differentiam, et inaequalitatem perfectionis in rebus creatis principaliter desumi ex nobilitate, et actualitate essentiae, sicut homo est nobilior lapide, hoc tamen pertinet ad perfectionem gradualem secundum diversam specificationem. At vero perfectio existentiae non pertinet ad graduationem, et specificationem, sed ad rationem actualitatis ultimae, et per modum actus secundi entitativi ad ponendum rem extra nihil,

et extra statum possibilitatis ratione ejus, Paulus existens, et Petrus non existens plus differunt in ratione entis, licet in ratione gradus specifici secundum se, et abstrahentis ab existentia minus differant.

XXVI. Ad primam confirmationem respondetur essentiam ordinari ad existentiam sicut actum primum ad secundum in generi entis, licet existentia subordinetur essentiae in genere limitationis, et specificationis. Verbum autem divinum assumpsit id quod erat perfectius in genere naturae, et essentiae, tribuit autem id quod erat perfectius in genere entis formalis, et actualis, scilicet existentiam.

XXVII. Ad secundam confirmationem respondetur ex dictis nobilitatem operationis et naturae sumi penes perfectiones essentielles, quia totum hoc pertinet ad perfectionem gradualem, et specificam, quam sequitur operatio. Existentia vero solum tribuit nobilitatem, et perfectionem in ipso formali genere entis, quatenus scilicet omnem illam perfectionem essentiae, et naturae, sive sit infima, sive sit suprema ponit extra nihil, et extra causas: quia omnis illa perfectio nihil est. Ad id vero quod dicitur esse perfectiorem potentiam, quae magis abstrahit ab existentia, respondetur non esse perfectiorem, quia abstrahit ab existentia secundum se, sed quia abstrahit a conditionibus, quae ad exercitium existentiae requiruntur; ita quod non limitatur ad attingendum objectum sub illis, et non aliter. Caeterum intellectus, qui considerat objecta sua independenter ab istis conditionibus, etiam considerat existentiam, sed non dependenter ab exercitio ejus, sed secundum se ut quaedam perfectio, et actualitas est, et in hoc ordine perfectior, et formalior est abstractio existentiae,

quam essentiae, quia est universalior in ratione actualitatis, a majori enim potentialitate abstrahit secundum se, quia potentialitas ad existentiam reddit rem in statu possibilitatis, et nihil, a qua potentialitate non abstrahit essentia secundum se.

XXVIII. Ad id vero quod dicitur de perfectione generis respondetur quod id quod per se, et ex proprio conceptu ponitur in genere, per se contrahitur ad speciem, si habet genus perfectius, etiam et speciem per se loquendo, quia species radicatur in genere. Caeterum existentia non dicitur ex genere suo perfectior quasi habeat genus determinatum, et graduale ex se, cum per omnia genera entis inveniatur, sed ex se est actualitas universalissima entis, et sic dicitur sumi in genere, determinatur autem seu potius limitatur non per contractionem ad speciem, sed per receptionem in subjecto, formae autem per receptionem limitantur quae abstractae perficiuntur, ut infra disputatione VII dicitur.

XXIX. Restabat agere in praesenti, an solus Deus sit principalis causa existentiae, an etiam causa creata? Sed de hoc agetur commodius infra quaestione VIII, artic. I. De causa autem materiali existentiae quomodo sit ipsum suppositum, et vere ac proprie recipiatur in ipsa re existente, quomodo etiam accidens habeat distinctam existentiam a substantia, non tamen receptam in ipso accidente, sed in supposito a quo sustentatur, nisi separaretur a Deo a suo subjecto, satis constat in hoc articulo et in praecedenti in fine.

ARTICULUS V.

An recte probaverit Divus Thomas Deum non poni in genere?

I. Nominales aliquos sensisse Deum poni in praedicamento plures

referunt auctores apud Gillium, lib. II, tract. IV, cap. VIII; Arrubal super hanc quæstionem III, art. V, disp. X, cap. X; Vazquez, Molina et alii. Illos tamen excusat Molina ab errore, quia non ita posuerunt Deum in prædicamento, quod aliquid negaverint de divina simplicitate, sed existimant cum ea componi hoc quod est Deum poni in prædicamento, quia vel nullam compositionem requiri putant ad hoc, ut Deus ponatur in prædicamento, vel solam compositionem rationis, quæ ita sistit in conceptibus, quod in re nihil correspondet, sicut etiam dicunt universale solum inveniri in conceptu, vel voce, nihil autem illi ex parte rei correspondere. Imo Gregorius in I, distinct. VIII, quæst. III, articul. II negat requiri differentiam ad hoc ut aliquid sub genere constituatur, ideoque non esse necesse quod componatur Deus in genere, et differentia, ut ponatur in prædicamento. Cæterum communis theologorum sententia Deum a prædicamento excludit cum magistro in I, distinct. VIII, ibique que Scotus, Richardus, Bonaventura et communiter alii theologi, et ex discipulis Divus Thomas, tam recentiores, quam antiqui ad articulum quintum hujus quæstionis tertiæ. Constat enim in prædicamento, quæ communiter cognoscimus res creatas collocari. Non potest autem dari aliquod prædicamentum univocum Deo, et creaturis, quia nihil prædicatur de Deo, nisi actus purus, nihil de creaturis, nisi actus purus non sit, ergo non possunt sub eodem genere univoco contineri.

II. Cæterum, quia rationes Div. Thomæ probant Deum in nullo prædicamento sive de facto, sive de possibili posse poni, oportet illas sigillatim explicare. Prima ergo ratio Divi Thomæ est, quia si Deus

ponitur in genere debet poni tamquam species, imo tamquam individuum, sed Deus non potest habere speciem constitutam sub genere, ergo non potest poni in aliquo prædicamento, non enim in prædicamento ponitur, nisi quod sub genere ponitur. Minor probatur, quia omnis species contenta sub genere, debet constare ex aliquo genere, et differentia, si quidem quæcumque species debet convenire in genere cum aliis speciebus, et differre ab aliis per aliquam differentiam essentialem. Hoc autem non potest inveniri in Deo, quia differentia comparatur ad genus, ut actus ad potentiam, nam propria ratio differentie est determinare, et contrahere genus ad constituendam in actu speciem, ad quam genus est determinabile, et indifferens, et in potentia. Totum autem quod est in Deo est actus purus nihil de potentialitate admittens, ergo non potest constare ex genere, et differentia, quæ necessario sunt inæqualis perfectionis.

III. Circa hanc rationem, quæ fundatur in negatione compositionis ex actu, et potentia, ex genere, et differentia, insurgit Vazquez hic disput. XXXII, cap. III, quia tota compositio generis, et differentie est per rationem, et penes nostros conceptus, sed secundum rationem nostram non repugnat ponere in Deo compositionem, et aliquam potentiam, et actum fundatum in nostris conceptibus, non in ipso Deo: ergo hæc ratio D. Thomæ nihil probat. Minor constat, quia in Deo sine ejus simplicitatis detrimento ponimus attributa distincta per conceptus nostros, et per ipsos iterum componimus, et constituimus Deum, et similiter ex essentia, et relatione componimus personam, ergo compositio per nostros conceptus imperfectos, quorum unus potentia-

liter se habeat ad alium non obstat simplicitati divinæ, et consequenter, neque compositio ex genere, et differentia. Confirmatur, quia non repugnat concipere aliquid in Deo per modum potentie et actus sicut naturam, et intellectum divinum in actu primo ad intelligere in actu secundo, et voluntatem ac velle præsertim ad velle liberum, et omnipotentiam ad agere, ergo non repugnabit per conceptus nostros concipere aliquod prædicatum magis determinatum, et contractivum illius.

IV. Confirmatur secundo, quia non repugnat in divinis concipi aliquod prædicatum, ut contrahibile, et aliquod, ut determinans, et contrahens; ergo neque per modum generis, et differentie, si quidem differentia non habet aliam actualitatem respectu generis quam determinare illud. Antecedens probatur tum in absolutis, tum in relativis. In absolutis, quia concipimus substantiam Dei, ut prædicatum commune, et intellectivum ut prædicatum magis determinatum, et tale intellectivum scilicet actus puri, ut ultimo determinatum. Similiter immutabilitas est communior æternitate, quæ est immutabilitas ad durationem, et immensitate, quæ est immutabilitas ad locum. In relativis autem, quia persona, et relatio divina concipitur, ut communis secundum rationem ad hanc, et illam personam, ut docet Div. Thomas infra quæstione XXX, articulo IV. Ergo non repugnat concipi in Deo aliquid ut contrahibile, et determinabile, et aliquid ut contrahens, et determinans, ergo neque repugnabit genus, et differentia, denique Deus potest concipi per modum termini communis sine singularitate, ut diximus in logica, ergo etiam ut contrahibilis per differentiam singula-

rem. Et exemplo naturæ angelicæ id explicatur, quia potest concipi, ut contrahibilis per differentias individuales, licet in re non possit illas habere, solum quia concipitur ad instar rerum corporearum, ergo similiter Deus conceptus ad instar creaturarum corporearum poterit concipi, ut communis, et contrahibilis.

V. Nihilominus ratio S. Thomæ solidissima est. Licet enim compositio ex genere, et differentia sit compositio per rationem; debet tamen supponere fundamentum in re, id est, quod extrema sint realia, quando pertinent ad veras, et prædicamentales naturas; et similiter quod genus, et differentia non sit æqualis actualitatis, sed una determinet aliam, et superaddat ad illam, nam si genus est æqualis actualitatis et perfectionis cum differentia, quantumcumque differentia ei superaddatur, non addet illud magis actuatum, et determinatum, ergo neque constituet speciem differentem ab alia inæqualiter, quia tota illa inæqualitas, et actualitas differentiarum actualiter inveniebatur in genere. Quare licet per rationem fiat ista compositio, tamen si alicui naturæ reali attribuitur debet istas condiciones habere, et vere illi attribui, et cum fundamento, nam si falso, et chimærice attribuitur, hoc ipso non vere ponetur in prædicamento, quod est intentum.

VI. Dices: Non requirit tantam inæqualitatem inter genus, et differentiam, sicut inter potentiam, et actum, sed sufficere, quod utrumque sit actus, dummodo unum non explicet rationem alterius, sed superaddat illi, hoc enim modo unum attributum superaddit alteri, et componit cum illo per nostrum intellectum, eodem modo potest intelligi, quod intellectivum v. g. comparetur ad conceptum

substantiæ in Deo non ut attributum, sed ut differentia, licet ejusdem actualitatis, cum substantia. Sed contra, quia hoc modo repugnat, quod detur in Deo conceptus genericus, nam si includit ille conceptus genericus, in actu illum conceptum differentiæ, ita quod non est in potentia ad illum, sed in actu includit illum, licet non explicet, ergo cuicumque communicatur ille conceptus generis etiam communicabitur conceptus differentiæ, si quidem actu includitur in illo, et omne quod actu includit conceptus generis communicatur inferiori. Vel ergo conceptus genericus ad Deum est solum, ipsi Deo proprius, vel etiam alteri præter Deum scilicet creaturæ communis. Primum stare non potest, quia id quod est proprium et per se alicujus, et non alteri præter se commune non potest illi convenire tamquam genus, si quidem convenit ei per se primo, atque adeo convertibiliter, ergo non communiter, et genericè, et sic non potest esse genus, nisi quod sibi, et alteri præter se est commune. Si dicatur secundum, ergo illemet conceptus genericus, qui convenit Deo etiam debet convenire creaturæ, quia præter Deum nihil est aliud, quam creatura, ergo si juxta istam solutionem conceptus, qui est genus ad Deum, actu includit ipsam differentiam constitutivam Dei, talis differentia etiam communicabitur creaturæ, quia totum quod est actu in conceptu generis communicatur omni suo inferiori, et sic creatura habebit differentiam Dei, quod est esse Deum. Si vero illi conceptui generico non convenit actualiter differentia suorum inferiorum, sed solum est in potentia ad illam consequenter conceptus genericus Dei erit in potentia ad differentiam Dei, quia Deus est tali genere inferior,

et sic conceptus genericus Dei non includit actu differentiam Dei, sed in potentia et sic non erit actus purus, quia aliquid de potentia includit; ergo compositio ex genere, et differentia quocumque modo sumatur repugnat Deo.

VII. Ex his respondetur ad omnes instantias adductas. Ad primum dicitur quod compositio per rationem est duplex; alia quæ fit penes majorem explicationem, seu expressionem ejusdem actualitatis; alia quæ fit per additionem unius ad aliud, et per modum determinationis actus, et potentiæ. Prima non repugnat Deo, quia non est compositio, sed summa identitas, et simplicitas ex parte rei, sed quia ob sui eminentiam non potest unico conceptu nostro imperfecto explicari, additur unus conceptus ad alium tamquam explicans eminentiam illam, non tamquam addens, et accumulans aliquid non inclusum in priori conceptu, seu contrahens id, quod est magis potentiale. Quomodo vero differat additio unius conceptus ad alium per modum majoris expressionis, vel per modum contractionis diximus in logica tractatu de analogia entis, et infra etiam attingetur articulo sequenti. Secunda autem compositio per rationem omnino repugnat Deo, quia aliquid potentialitatis præsupponit, et hæc requiritur ad compositionem ex genere, et differentia, quia ut ostendimus actualitas differentiæ debet contrahere, et qualificare genus (prædicatur enim in quale) et non includi actu in ipso genere, neque genus in differentia, alias non diceretur univoce, quia inæqualitatem differentiarum communicaret, et includeret. Eodem modo intelligitur componere relatio, seu persona cum essentia, aut unum attributum cum alio, non per additionem actualis ad potentiale, sed per summam identitatem,

et simplicitatem, qua unum actu est aliud.

VIII. Ad primam confirmationem negatur essentiam divinam posse concipi per modum actus primi ad secundum, in Deo enim non datur actus primus, sed totum quod est Deus est actus secundus, quia est actus purus, nec potest concipi, ut perfectibile id, quod divinum est, sed ut summe perfectum, et consequenter in actu summo, et ultimo, ergo non in actu primo, qui non est summus, et ultimus actus, restat enim alius qui est secundus actuans primum, et sic melior illo. Et ideo intellectus in Deo est ipsum intelligere, et voluntas velle, et potentia agere, licet ex isto agere non semper sequatur effectus ad extra, quia non est actio per modum motus, et viæ, quæ sine effectu non egreditur, sed potius per modum summæ actualitatis, a qua effectus ipse egreditur prout vult, et quando vult, quia actio, et volitio Dei non habent libertatem penes egredi, vel non egredi a potentia, revera enim non egrediuntur, alias distinguerentur a potentia, a qua procederent, sed libertas eorum consistit in hoc, quod ita sint independentes ab objectis creatis, et objecta ita dependeant ab ipsis, quod existente actione, et volitione quoad substantiam, potest non sequi effectus, nec objectum reddi volitum, et ita actio divina non semper est conjuncta passioni et immutationi effectus, sicut creata. De qua amplius dicemus, quæstione XIX, agendo de libertate divina.

IX. Ad secundam confirmationem respondetur bene posse concipi in Deo aliquid, ut commune, et ut singulare secundum præcisionem negativam concipiendo, scilicet naturam, et non singularitatem, sicut etiam unum attributum sine alio, ut ponitur in argumento, non tamen potest præcisione positiva, ita quod

accipiatur unum, ut universale, et tamquam genus contrahibile per modum potentialitatis, et actus, nec potest accipi una ratio, ut perfectior altera, et unum ut determinans, et contrahens, alterum, ut determinabile, et contrahibile ex parte rei conceptæ, licet ex parte nostri modi concipiendi unus conceptus sit determinatior altero secundum rationem magis explicitam, non secundum additionem perfectionis ex parte rei conceptæ. Unde dicit D. Thomas I p. q. XXX, art. IV ad III: « Quod licet personæ communitas sit communitas rationis, et non rei, tamen non sequitur, quod in divinis sit universale, vel particulare, genus, vel species: tum quia neque in rebus humanis communitas personæ est communitas generis, vel speciei: tum quia Personæ divinæ habent unum esse in se, genus autem, et species, et quodlibet universale prædicatur de pluribus secundum esse differentibus. » Ubi obiter nota, D. Thomam negare in Personis plura esse, seu existentias relativas (de esse enim essentiæ relativæ evidens erat dari in Personis tres actuales relationes distinctas) alias hæc ratio nihil valeret, posset enim responderi, quod Personæ differunt secundum esse relativum licet non secundum absolutum.

X. Ad ultimum respondetur. Deum per nostros conceptus posse concipi, ut communem quasi negative ut dictum est, non tamen tamquam universale, vel genus, quia hoc non solum dicit omissionem singularitatis, sed etiam contrahibilitatem, et potentialitatem ad inferiora. Angelo vero convenit compositio ex actu, et potentia, et sic convenit illi ratio generis. Et licet species angelica non distinguatur a principio individuante, tamen si concipiatur inadæquate sine singularitate (sicut etiam potest concipi Deus)